



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

XXVII. Epistola Episcoporvm Evropæ, Ad Leonem Imperatorem. Protecto,
pio & Christianissimo domino totius orbis terrarum, & imperatori perpetuo
Augusto Leoni, Ioannes reuerendissimus Heracleæ, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

terii orthodoxi Alexandrinæ ciuitatis episcopi, sicut visum fuerit pietatis vestræ tranquillitati, Christianissime ac fidelissime imperator Auguste, immaculata & intemerabili dextera.

XXVII.

EPISTOLA EPISCOPORVM EVROPÆ,
AD LEONEM IMPERATOREM.

Prorecto, pio & Christianissimo domino totius orbis terrarum, & imperatori perpetuo Augusto Leoni, Ioannes reuerendissimus Heracleæ, Theophronius episcopus Aphrodisiadis, Theotecnus episcopus Cyclensis, & Babulas episcopus nouæ Theodosopolis Europæ vestræ.

P IETATIS vestræ & Christianitatis imperium clarius purpura atque diademate pro fidei causa lucet. Vere namque piissime & Christianissime imperator, leo quidem contra hostes existis, circa mites autem & subditos, mansuetissimi Dauid imitator agnosceris, quippe diuinitus adeptus imperium. Eodem namque modo etiam eos qui inordinati videntur, & contra sanctas regulas semetipfos armauerunt, & seditiones impias & scelestas arripiunt, imperiali auctoritate comprimitis, & de mundi quiete cogitantes, incommotas & sine fluctibus sanctas vbiq; conseruatis ecclesias. Præstet igitur omnium Dominus Christus vestrum imperium indeclinabiliter confessionem fidei conseruantem, longæuis annorum curculis sanctorum intercessionibus permanere. Sacras igitur & Christianissimas literas a vestra tranquillitate directas cum multo studio relegentes, in quibus præcepistis nobis clarius explanare, quid de sancto magnoque & vniuersali Calchedonenſi Concilio sentiamus, & de Timotheo, quem Alexandrinorum populus sibimet ordinauit episcopum; per hanc humilem nostram relationem vestræ pietati significamus, quomodo cunctis sanctissimis orthodoxisque Conciliis & concordamus & consentimus. Primum quidem dogmata & expositionem trecentorum decem & octo sanctorum sequimur patrum, eorumque fidem indeclinabiliter custodimus, in quam etiam baptizati sumus & baptizamus. Post quos, centum

ANNO
 CHRISTI
 451.

quinquaginta sanctorum patrum qui in regiam Constantinopolim congregati sunt, constituta seruamus. Nec non etiam Ephesinum Concilium, quod sub beatae memoriae Caestino successore sancti & venerandi & custodis clauium regni caelorum Petri, & sub sanctae memoriae Cyrillo Alexandrino pontifice congregatum est propter haeresim nefandam profanamque Nestorii: praecipue tamen per Dei gratiam Calchedone collectum magnum sanctumque & vniuersale Concilium, eo quod praedicta Concilia firmauerit, nihilque quod illis bene videatur placuisse, commouerit, nec augmentum quoddam vel detractionem fecerit, aut quidquam ex his quae tunc fuerant definita, commouerit, aut aliquid incongruenter interpretatum sit. Quod Concilium velut ancoram cautam firmamque seruamus, quando contra omnem haeticam tyrannidem scutum inexpugnabile & arma extitit, quae nequeant superari. Huius igitur formas siue definitiones nullus recta sapientium mutilare praesumat: & neque vnum iota aut vnum apicem possumus aut commouere, aut violare horum quae ab eo recte sunt & inculpabiliter definita. Sequimur autem & famosissimorum sanctorum patrum doctrinas rectas, misericordia regis omnium Christi euangelicum adepti sacerdotium, recte sapimus semper, & sicut sapit apostolica Romanorum sedis ecclesia, & sicut sapuerunt beatae famosaeque memoriae patres & episcopi regiae Constantinopolis, & sicut omnes totius orbis episcopi, recte verbum praedicantes veritatis sapimus, sic regentes populos praedicamus, rectam eis proponentes intemeratamque doctrinam. De Timotheo vero, sicut continent preces subdita sacratissimis vestris & Deo amantissimis literis, quia eius immisione sanctae memoriae Proterius orthodoxus sanctusque pater & Alexandrinorum episcopus, in sacratissimi baptisterii loco peremptus est, membratimque concisus, & locis omnibus circumtractus, & post haec igni contraditus, aliaque passus, quae propter sceleris exaggerationem terretur lingua proferre: sanctissimum quidem Proterium in ordine & choro sanctorum martyrum ponimus, & eius intercessionibus misericordem & propitium Deum nobis fieri postulamus: Timotheum vero, qui talia perpetravit in beata me-

Concil. Tom. 9.

O o ij

moriæ Proterio qui fuit episcopus, cuiusque consilio at-
 que tractatu factum est scelus huiusmodi, quod etiam hu-
 manos auditus propter excellentiam crudelitatis obrurat,
 tamquam tyrannum & sanguinarium, & propter immen-
 sam sui crudelitatem antiquos tyrannos qui semetipfos
 aduersus triumphatores martyres armauerunt, transcen-
 dentem, quique episcopatum arripuit, alienum a sacerdo-
 tio & episcopatus dignitate, & extraneum esse decernimus.
 Sanctissimos autem & confacerdotes nostros, qui ab eo
 contra ecclesiasticas sanctiones excommunicati sunt at-
 que damnati, & confacerdotes nostros eos, & communi-
 stros, & coepiscopos, & communicatores habemus, & op-
 tamus sanctis eorum orationibus Dei clementiam prome-
 reri. Similiter autem siue archimandrita, siue presbyter,
 siue diaconus, siue quis alius in clero constitutus, excom-
 municatus ab eo est propter bonæ memoriæ Proterium
 Alexandrinæ ciuitatis episcopum, huic communicamus,
 & esse eum in clericatus dignitate decernimus. Nam lu-
 pus qui pastori non pepercit, nec ouibus parcit. Eos au-
 tem qui in damnatorum locis ab eo sunt constituti, siue
 episcopi sint, siue archimandritæ, siue presbyteri, siue
 diacones, siue quilibet in clero humiliori consistens; hos
 indignos graduum, in quibus sunt præter ecclesiasticam
 consequentiam ordinati, cum obumbratam velut thea-
 tralem dignitatem videantur sortiti esse, decreuimus. Ve-
 stræ siquidem tranquillitatis est, Alexandrini populi cu-
 ram habere, & a sancta Dei aula lupum expellere, & in-
 uulneratum inconsumptumque gregem saluatoris Chri-
 sti seruare, & concordiam multamque pacem Alexandri-
 norum ciuitati concedere, ad gloriam Christi, & exalta-
 tionem piissimi vestræ Christianitatis imperii.

Ioannes episcopus. Incolumem vestram pietatem Deus omnium no-
 bis donet longæuis temporibus sanctorum orationibus.
 Theotecnus episcopus Cyclensis, similiter.
 Theophronius episcopus Aphrodisiædis, similiter.
 Babulas episcopus nouæ Theodosiopolis, similiter.